

ut et ego quoque fruar inenarrabilibus et quæ comprehendi non possunt, tuis bonis in cœlesti perseverantia. Habes enim, ut scio, cum tua voluntate concurrentem potentiam, ut quæ sis mater altissimi, et propterea audeo. Ne ergo priver mea expectatione, o Domina intemerata, quæ universorum expectationem supra rationem peperisti, Dominum nostrum Jesum Christum. » Hæc ille.

17° CULTORIBUS SUIS GRATIAM ET HONESTATEM NON MODO EDENDAM PRÆBET, SED ET PROPINAT BIBENDAM.

IX  
4 36  
2

*Cibabit illum pane vitæ et intellectus, et aqua sapientie salutaris potabit illum.* (Eccli. xv. 3) — Jam reliqua quæ subnectit Siracides: *cibabit illum pane vitæ et intellectus*, etc., facile B. Virgini adaptare, ac præsertim illud: *Mulier a virginitate*: ipsa enim in virginitate facta est mulier et mater Dei, ut sibi sit Virgo, Deo Mater.

Unde noster Salazar in *Prov.* cap. VIII, v, 18, num. 157, putat hic non duas, sed unam dari similitudinem: eodem enim, ait, est mater honorificata, quæ mulier a virginitate sua, id est tanquam mater simul et virgo. Id vero addit ut significaret sapientie (de qua ibidem loquitur ad litteram) totius corruptela expertem sinceritatem, quæ, quamvis mater appelletur, nihilominus virgo est.

Nec lædit sententiam hæc interpretatio, sed potius illam exacuit. Sensus enim sic conformandus est: Occurrit illi sicut mater honorificata et virgo, id est tanquam mater quæ filium peperit virginitate incolume, atque adeo sine dolore et pressura, *q. d.* Sic excepit illum veluti si foret mater aliqua, cui filius,

quem virgo, atque adeo incorrupta, et sine doloribus peperit, honoris multum et obsequii deferret: hunc enim eolibentius amaret, quia voluptatem plurimam, nullum vero dolorem ipsi attulerat.

Hæc vero ad B. Virginem accommodate transferuntur quæ vere parvulos illi honorem deferentes, tanquam virgo mater excepit; a quibus cum voluptatem experta sit, dolorem hactenus nullum excepit. Majores enim natu quotquot ad ipsam accedunt fere plurima jam admiserunt peccata, quibus tantæ matri cruciatum et dolorem attulerunt; atque adeo tunc cum illos Deo parit, cum doloribus quodam modo enititur, parvuli vero et insontes ad Mariam accedentes, atque illam honorantes, nullum dolorem vel cruciatum, vel voluptatem plurimam illi apportant. Ideo illos Virgo parere jucundius et gratius illos excipere dicitur, quia istos Deo pariendi (liceat si dicere) partum Christi imitatur, quem virginitate incolumi, hinc dolore et cruciatu edidit mundo.

Idem, ibidem, num. 45, explicans illud eodem pertinens: *Hauriet salutem a Domino*, notas *potabit* significare B. Virginem gratiam et honestatem non modo edendam præbere, in quo difficultatis aliquid est, sed etiam bibendum propinare, uti fecit suis dilectis, S. Bernardo, S. Anselmo, S. Damasceno, S. Bonaventuræ et aliis, qui ita ad omnem honestatem et virtutem fuere prompti et proclives, ut eam non tam comedisse quam bibisse videantur.

Exemplum illustre et rarum est in Vita B. Hermannii Josephi ordinis præmonstratensis. Hic enim a puero B. Virgini apprime devotus, eam per omnes vitam expertus est matrem honorificatam; quæ proinde assidue ei pecunias ad victum et vestitum

procurabat, morbos sanabat, tentationes flagrabat, ac in omnibus aderat, et de cunctis rebus ad salutem opportunis velut pia et liberalis mater providebat : quin et eum in sponsum accepit, nomenque sponsi sui, scilicet Joseph, ei indidit. Lege vitam ejus et miraberis tantam tantæ matris in suos clientes dignationem et pietatem. Extat vita ejus apud Surium ad diem septimum aprilis, in ultima (quæ valde adaucta est a Mosandre) editione coloniensi.

18° IN OMNES INVOCANTES SE SAPIENTIAM ET GRATIAM  
TRANSFUNDIT.

*Primogenita ante omnem creaturam.* (Eccli. xxvi, 5).—Mystice, hæc verba Siracidis adaptes B. Virgini : ipsa enim non solum excelluit sapientia et gratia omnes angelos et omnes homines ; sed et velut caput eandem in omnes Adæ posteros se invocantes transfundit.

Audi S. Hieronymum, vel potius Sophronium, serm. *de Assumpt.* : « Dei genitrix, ait, electa et præelecta, vere ab angelo salutatur et prædicatur gratia plena, per quam largo Spiritus sancti imbri superfusa est omnis creatura. »

Et B. Petrus Chrysologus, serm. 142 : « Beata, inquit, quæ sola inter homines audire meruit præ omnibus : invenisti gratiam apud Dominum. Quantam ? Quantam superius dixerat, plenam ? et vere plenam, quæ largo imbri totam funderet et infunderet creaturam. Invenisti enim gratiam apud Deum. Hæc eum dicit, et ipse angelus miratur, aut feminam tantum, aut omnes homines vitam meruisse per feminam. »

Rursum Sophronius : « Talibus, inquit, decebat Virginem oppignerari muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cœlis gloriam, terris Deum pacemque refudit, fidem gentibus, finem vitiis, ordinem vitæ, ac moribus disciplinam. » Et rursus : « Quid mirum si lætitiâ et gloriam plenam et superplenam habet in regno, quæ gratiam plenam et superplenam habet in exilio ? Quid certe mirum, si tam in cœlo quam in terra ejus plenitudo super omnem creaturam sit, de cujus plenitudine omnis natura virescit ? » Utrumque locum citat S. Bonaventura in *Speculo*, cap. vii, quibus attexit hæc S. Anselmi verba : « O femina plena, et superplena gratia, de cujus plenitudinis abundantia respersa, reviviscit omnis creatura ! »

Ad id spectant etiam illa S. Bernardi, serm. *de Aquæductu* : « Petit, inquit, supereffluentiam ad salutem universitatis : Spiritus sanctus, ait superveniet in te ; et copiosum illud balsamum tanta plenitudine influet, ut copiosissime effluat circumquaque. » Et alibi : « Plena, inquit, sibi ; superflua nobis. »

Concluset S. Bernardus, serm. citat. *de Aquæductu* : « Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria, ut proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiæ, si quid salutis, ab ea noverimus redundare, quæ ascendit deliciis affluens. Hortus plane deliciarum, quem non modo afflaverit veniens, sed et perflaverit superveniens auster ille divinus, ut undique fluant et diffuant aromata ejus charismata, scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum, ubi dies ? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens,

et umbra mortis, et densissimæ tenebræ relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam. »

Accedit Richardus Victorinus, in *Cant.* cap. xxviii: « Omnium, inquit, salutem desideravit, quæsit, obtinuit; imo salus omnium per ipsum effecta est. »

19° SIBI DEVOTOS VIRTUTIBUS INDUIT.

VI  
509  
2

*Omnes enim domestici ejus vestiti sunt duplicibus.* (Prov. xxxi, 21.) — Eadem veste ipsa ornat sibi devotos, eaque rursus duplex est, quia tam Christi, quam B. Virginis virtutibus eos vestit et induit, juxta illud S. Bonaventuræ in Psalter. : « Mariam induite quotquot diligitis eam; hæc luceat in moribus, splendeat in actionibus. »

Porro quomodo duplex vestis, id est ardens et continuus charitatis actus, excludat omne frigus nivis, id est peccati, ostendam in fine versus seq.

Insuper sicut Eva, ut ait S. Bernardus, serm. *De Laudibus S. Mariæ*, « supervestivit carnem filiorum suorum, sicut diploide confusione sua : de manu quippe illius duplicis mali semen terra nostra suscepit, scilicet iniquitatem et culpam in anima, calamitatem in corpore : « Sic ex adverso B. Virgo duplici veste contraria nos donat, scilicet gratia et gloria, tam corporis quam animæ. Hæc ergo est diplois fulgida, quam suis tribuit virgo gloriosa. Quocirca illi optime convenit versio Septuaginta, *non est sollicitus de his quæ in domo vir ejus, sicubi moratus fuerit; omnes enim qui apud ipsam vestiti sunt* : quia scilicet

Christus Ecclesiæ et fidelium administrationem usque ad diem judicii, quo ipse post longam moram omnes judicaturus redibit, commisit B. Virgini, uti docet S. Germanus, S. Bernardus, S. Bonaventura et alii.

Rursum Doctor priseus, pius et eruditus, ex hoc loco docet eos, qui in hac vita peculiari devotione servierunt B. Virgini, ab ea singulari gloria quasi veste duplici donandos in cælo : « Sicut, ait, servi regii et reginæ in curis regis, certis vestibus et insignibus deaurati procedunt, per quæ agnoscuntur esse servi regis vel reginæ, ac speciali purpura vestiti ambulant : ita in curia cælesti servi B. Virginis speciali ornatu et gloria, qua præ aliis decernuntur quod sint servi Mariæ, fulgebunt, juxta illud *Proverb.* ult. : *Omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus.*

20° CHRISTIANOS ET ELECTOS PRIMOS OMNES  
DUCIT ET DOCET.

*Et in electis meis mitte radices.* (Eccli. xxiv. 13.) — Mystice, B. Virgo æternæ sapientiæ mater habitavit in Jacob; quia et Judæis nata inter Judæos habitavit, ibique genuit Christum et christianos : in his ergo, quasi electis a Deo, misit primas radices Ecclesiæ christianæ. Hæc enim cœpit in Sion et Sionidis, id est, judæis ad Christum conversis, opera B. Virginis et apostolorum.

Rursum B. Virgo electorum est dux, mater, magistra et custos. Unde graves theologi docent signum prædestinationis et electionis divinæ esse cultum et devotionem assiduam erga B. Virginem, juxta illud, quod ei mystice attribuit Ecclesia : *Qui*

IX  
628  
2

*me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino, Prov. VIII.*

Unde Germanus patriarcha Constantinopolitanus orat. *de Deipara*: « Sicut, inquit, continua respiratio non solum est signum vitæ, sed etiam causa: sic S. Mariæ nomen quod in Dei servorum ore assidue versatur simul argumentum est quod vere vivant; simul etiam hanc ipsam vitam efficit et conservat, omnemque eis lætitan et opem ad omnia impertitur.

21° QUO MAGIS AMATUR, EO MAJOREM SUI  
AMOREM EXCITAT.

IX  
656  
1

*Qui edunt me, adhuc esurient; et qui bibunt me adhuc sitient. (Eccli. XXIV, 29.)* — Mystice, B. Virgo quo magis a fidelibus amatur, desideratur et colitur, eo majorem in eis sui amoris, desiderii et cultus esuriam sitimque excitat, quia eo magis suam charitatem, potentiam, opem ostendit. « Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra », inquit S. Bernardus, homil. 4 super *Missus est*.

22° INVITAT OMNES AD VITAM EXCELSAM ET CONTEM-  
PLATIVAM.

(Vide supra. v. 236. 2.)

23° QUAM MULTOS TUM GRATIARUM, TUM HOMINUM  
SANCTORUM FRUCTUS EDIDERIT, ET ASSIDUE EDAT.  
(Vide supra v. 219, 2.)

MARIA REFUGIUM PECCATORUM,  
JANUA COELI.

1° EST REFUGIUM FIDELIUM.  
(Vide supra XVI. 617, 2.)

2° OMNES AD SE CONFUGIENTES SERENAT.

*Qui vigilaverint ad illam, complectentur placorem ejus. (Eccli. IV. 13.)* — Pro *placorem*, alii vertunt *malaciam*, id est sedatissimam animi quietem sublatis animi et conscientia scrupulis æstibusque, similem mari tranquillo, nullisque ventis aut fluctibus agitato.

IX  
152  
2

Mystice, hæc sapientia est Christi mater Deipara, quæ omnes ad se confugientes quibuslibet angoribus animique perturbationibus liberat, serenat ac tranquillat. Unde S. Bonaventura in *Speculo*: « Ad te ait, Domina, clamavi in angustia animæ meæ, et tu serenasti conscientiam meam.

3° SUIS CLIENTIBUS OPEM ET CONSOLATIONEM AFFERT.  
(Vide supra. XIV. 129. 2 et seq.)

4° EST SPES NOSTRA MEDIATE.

*Paulus apostolus Jesu Christi secundum imperium Dei Salvatoris nostri, et Christi Jesu spei nostræ. (Epist. ad Tim. I, 1.)* — Adverte, Christum per se et immediate esse spem nostram, quia ab eo bona jam dicta

XIX  
177  
1